



433

ubi dicunt fuisse domum patriarchae Jacob, in qua per aliquod tempus habitavit, et murum dicunt esse de reliquiis patriarchalis domus. Ego vero quadam vice hic transiens murum ascendi, et pro certo comperi, quod fuit fulcimentum canalís, per quem olim aquae Jerusalem decurrebant. Et si fuisset haec domus Jacob, quid necesse fuisset, Rachelem uxorem ejus in via hac parere prope domum?

De sepulchro Rachelis, quod fecit ei Jacob patriarcha.

(166 A) Uterius procedentes venimus in locum, quem Hieronymus de distantíis locorum nominat Chabrata, ubi est sepulchrum Rachelis, uxoris Jacob, quae hic in publica via existens, volens cum Jacob ire in Bethlehem, venit in horam partus, et ibi peperit Benjamin, et ob difficultatem partus obiit, quam Jacob hic sepelivit, et titulum super sepulchrum ejus erexit, et hic est titulus monumenti Rachelis usque in praesentem diem, ut dicitur Genes. 37.³⁵ Quare autem Jacob Rachelem dilectissimam sibi uxorem non duxit in Ebron, in sepulchrum majorum, sed eam in publica sepelivit via, dicunt Hebraei, quod Jacob conscius prophetico spiritu futurorum hoc fecit ideo: nam dum Nabuchodonosor urbem destruxisset, et templum combussisset, et hac strata populum Dei captivum duxit in Persidem, cum sepulchrum illud transivit, extulit Rachel divino miraculo vocem magnis fletibus de sepulchro proclamans hostes et misericordiam divinam implorans; de hoc Jeremiae 31.: vox in Rama audita est etc. Verum catholici doctores ploratum Rachel de interfectione innocentium exponunt, Matthaei 1. Rachel autem secundum Jeronymum dicitur mater puerorum Bethlehem et illius regionis, quamvis essent de Lea, quia Rachel ibi suum mauseolum habuit, intitulatum solenniter. Hic autem titulus est pyramis alta, de lapidibus albis quadratis et politis fabricata, et est hodie pulchra capella, formam habens sicut capella nova, quae stat in medio coemeterii ad omnes Sanctos in Ulma, nisi quod sepulchrum Rachel est totum lapideum non festucam habens de ligno. Et juxta sepulchrum posuit Jacob XII lapides juxta numerum duodecim filiorum suorum. Ad latus capellae

28

448

446

452

442

457

437

497

397

347

Ende

Anfang